16984
C.R. BIBLIOTHECA VNIVERS. IAGELL. CRACOVIENSIS
I Mag. St. Dr. P

Cynerski Joan. Debitum pietatis

PANEG. ET VITAE
Polon. 4°
№ 1070.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0000359

DEBITVM PIETATIS,

Ad Ædes

S. ANNNÆ,

Et Aram

D. IOANNIS CANTII,

In Solenni Almæ Vniuersitatis Crac: gratiarum actione

Pro fælicissimis successibus

SERENISSIMI AC POTENTISS:

VLADISLAI IV.

Poloniæ & Sueciæ REGIS, &c. &c.

MAGNI MOSCHOVIÆ DVCIS ELECTI.

BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE

34. IV. 45

Dum

Supplices Moschos, Marte fractos, castris & apparatu bellico exarmatos, Heroicâ sua clementiâ, vitæ donaret, ad patriosq́ lares ab obsidione dimitteret:

Auctoritate, & mandato publico
Magnifici Domini
CHRISTOPHORI NAIMANOVIC,
Medicinæ Doctoris ac Profess: ordinarij, & eiusdem Vniuersitatis Cracouiensis Rectoris Vigilantissimi:

A


M. IOANNE CINERSKI RACHTAMOVIO,
Coll: Min: Ordin: Eloquentiæ Profess:
Die tertia Aprilis, officioso cultu persolutum.

16984 I

C. R. BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

In per-

In perantiquam GEMBICIANÆ Gentis Stemma.



Amemus Patriam, pareamus Senatui, consulamus bonis, præsentes fructus negligamus, posteritati & gloriæ seruiamus, id esse optimum putemus, quod erit rectissimum: Speremus quæ volumus, sed quod acciderit feramus: cogitemus deniq; corpus Virorum fortium, magnorumq; hominum esse mortale, animi verò motus, & virtutis gloriam sempiternam. Cicero in Orat: pro Pub. Sextio.

EPIGRAMMATA.

QVod decus hoc? aut quid contexto tegmine mon-
Gens excellentis prouida Consilij? (strat,
An Diadema notat priscorum Sanguine Regum
Depurpuratum? quo reparata salus?
Fascia an ista Iouis strinxit caput, vnde Mineruæ
Ascia Vulcani prompta parauit iter?
An sudariolum est Martis? peplumne Mineruæ?
Quicquid id est, vestra est gloria GEMBICY,
Vos & amant Reges, & Pallas ritè coronat,
Iuppiter & Mauors, viuite GEMBICY.
Et meritò tantas Virtutes tegmine fertis,
Nunc etiam Pallas, Martis in obsequio est,
Martis in obsequio Pallas Charites & Apollo,
Iuppiter ipse sui Martis in obsequio est.
Armatus Mauors, armata Minerua Phalanges
Armis ille ciet, consilio illa ciet.
Et quisquis lateri Victoris Regis adhæret,
Regis in obsequio est, Martis in obsequio est,
Dotibus ô tantis fælices viuite, nostris
Aris atq; focis, viuite GEMBICY.

ADAMVS GEORGIVS Ossolinski
à Tęczin Succamerarides
Sandomirien.

Pergite

II.

PErgite Craciades pia fundere carmina Musæ,
Eximiumq; alacres concelebrate decus,
Concelebrate decus, quod vobis Fascia iungit,
Fascia Gembiciæ, nobile Stemma, Domus,
Fascia delicium Patriæ, magniq; Senatus
Ornamen, doctæ præsidiumq; Togæ
Protegit illa inopes, fractos seruatq; clientes,
Seruat honorati, præmia Sancta, chori,
Discordes animos, concordi fædere stringit,
Sensa, ligatq; bonis, consona consilijs,
Turba grauis paci, placidæq; inimica quieti
Perstreperum obtura os, Fascia namq; premet.

IOANNES RAPHAEL Comes à
Tarnow Stud: Eloquentiæ.

III.

FAscia sudantis detergito tempora Regis,
Crede mihi sanctum est, quod facis, obsequium,
Dum Patriæ rigido fines defensat ab hoste
Quam fælix sudor, quàm madefacta capis!

ADRIANVS SMIELOWSKI
Stud: Eloquentiæ.

IV.

ITE procul Fasces, Romanorumq; secures,
Vos superat solidis Fascia muneribus!

Vulnera vos, mortemq́ trucem intentastis, at illa
Dat vitam, stringit vulnera Sarmatiæ.

VENCESLAVS KAMIENSKI
Stud: Eloquentiæ.

V.

ESTE procul Vestæ Vittæ, pallæq; superbæ,
Virtutis Vitta hæc, sanctius omen habet.
Hanc bona Relligio, Candorq; Piumq́; coronat,
Vos nimium afflixit vana superstitio.

NICOLAVS LEZENSKI
Stud: Eloquentiæ.

VI.

ET merito Vitta hæc ornamen Palladis almæ est,
Nam tegit ingenij candidioris opes.
O tristes tandem lachrymas detergite Musæ,
Vitta dabit vitam, quæ dedit auxilium.

IACOBVS NAIMANOWIC
Stud: Eloquentiæ.

VII.

FÆlices Vittæ, fælicia licia, tandem
Afflictæ lachrymas tergite Sarmatiæ.
Sic mihi vincetis veterum Diademata Regum
Dum Regi promptum redditis obsequium.

CHRISTOPHORVS NAIMANOWIC
Stud: Floquentiæ.

Perillu-

Perilluſtri & Reuerendiſſimo Domino

D. PETRO GEMBICKI,

Decano Crac: Cuſtodi Gneſnen.

Secretario Regni Maiori. &c. &c.

DOMINO ET PATRONO Colendiſsimo.

DEBITVM noſtræ pietatis, Tibi Perilluſtris & Reuerendiſſ: Domine, cui omnia noſtra debemus ſtudia, meritò conſecramus. Eſt enim Tuum maximè quod pro S.R.M. ſuſcipitur omne votum: quod vbi frequentius quàm in Lyceo D. Iagellonis ſuſcipitur? Liceat hic ſed ſine oſtentatione gloriari. Si incomptus publicam in lucem euolaui Reuerendiſſ: D. ignoſce: tempus me incommodum, reiq́ depreſſit magnitudo. Malui tamen, quàm ingratus, minus eloquens haberi. Quis verò aut pietate peccare, aut in ſolenni non geſtire lætitiâ poteſt? Nunquam ita elingues erunt noſtræ Camænæ, vt velut Harpocratis ſtatuæ, patrias inter adoreas conticeſcant! Satis datum eſt dolori, procul omnis mæror, & multa mortis imago. Quid nos doli, & machinationes gentis territatis? Iam ipſe genius loci tanto beneficio victus eſt! Deoſculabuntur dexterã qui in diſcrimine fidem maximis in votis habuerunt. Mox erumpemus in amphitheatrum honoris & gloriæ (ne dubita) vindex victoria triumphabis.

phabis.

phabis. Quanquã non tuo sed fortiss: Regis fauore & fælicitate viceris: qui te ipsam etiã vicit, postquam Heroica pietate prudens, animũ vltorem clementiâ exarmauit, hostesq; Marte fractos, & periurij reos, vitæ donauit. Sed cauete perduelles, cauete. Nulla est diuturna simulatio pietatis. Iam quiescite (moneo si sapitis) inermes ab armis. Quid hæretis? O impudentiã! Est vobis graue nomen Domini, cum agnoueritis clementiã Patris? Hostes, in prælio, vltrò experiri voluistis inimicũ, quem primò hospitem, deinde Ducem salutare debuistis. Quod (malũ!) genus istud hominum, vt suo genio metiatur libertatem, cuius verum gustum nunquam habuit! Sed quid ego cum absentibus? Tuæ potius Pietati Reńdiss: D. nostrum debitũ pietatis adiungimus, sic illa fortius feriet hostẽ. Tanta verò beneficentia, & propensio in nos Tua est, vt adhuc dubitemus quâ sit gratiarum actione persoluenda, cui nulla satis par eloquentia inuenitur! Virtus vbiq; tua mirabilis! spem nostram erexit, inimicorũ inuidiam vicit, aduersariorum potentiam depressit, amicorum deniq; fidem superauit! Non possumus nostræ libertatis naufragiũ pati, cum tam fauentem, tam benignũ, tam sollicitum, Pollucem habeamus, qui & nobis bonam mentem inspirauit, & Castorem in fauoris pellexit sententiam. Viue quàm longissimam vitam Nestor Academice, & apud Agamemnonem Sarmaticũ, illustri gratiâ, ad Ecclesiæ, Patriæ, Academiæ ornamentum, fælix perfruere. Dat è Coll: Min: Die 7. April. Anno Domini 1634.

Perillustri & Reuerendiss: D. V.

deditissimus

M. Ioannes Cinerski Rachtamouius
Coll: Min: Ord: Eloq: Profess:

DEBITVM PIETATIS.

NOVAM, & ante hanc diem mihi inuſitatam, has ad Aras Sanctiſſ: & D. noſtri Ioannis CANTII ſacros cineres, dicendi prouinciam, non aliquâ ambitione attentatam, ſed ſummâ auctoritate ac beneuolentiâ, à Te mihi commiſſam, ac demandatam aggredior, Magnifice D. Rector, &c. &c. ſed vereor & vehementer exhorreſco, ne rei magnitudine beneficijq; dignitate depreſſus, ante (quæ mea eſt tenuitas) confundar & obruar, quàm portum dictionis attingere poſſim. Tantos enim labores, tantos impetus, & contentiones, tantam frigorum acerbitatem, & rigorem, hoſtium immanitatem ac proteruiam, tantam periculorum tempeſtatem, quantam pro Dei gloria, pro libertate imperij, pro Patria, pro legibus, pro aris & focis, pro incolumitate noſtra, pro nominis ſui dignitate, Sereniſſ:

Rex noster VLADISLAVS IV. sustinuit; tantum deniq; Victoriæ votis omnium & suspirijs desideratissimæ beneficium, quantum diuina inprimis benignitate, suâ verò incredibili vigilantia, fortitudine, fælicitate, ex perduellibus Moschis in his primis belli initijs, & successibus longè auspicatissimis recepit, quis nisi eloquentissimus, vsuq; dicendi & auctoritate pręstantissimus explicare potest? Nimirum hîc exarescet, & euanescet, meus omnis Orationis genius atq; spiritus (qui admodum mihi tenuis est, & exiguus) nisi vestra singulari humanitate Aud: Clariss: vestro fauore, vestris votis, confirmatus fuerit, & excitatus. Nostrum hoc est beneficium Aud: nostrum decus, nostrum solatium, nostræ Patriæ, & Academiæ ornamentum, gloriaq; longè celeberrima, quam per manus fortissimi, & fælicissimi Regis, Deus Opt: Max: nobis, imò Orbi Christiano concessit vniuerso. Iam enim Moschi, ad deditionem compulsi, tormentis, vexillis, ornamentis, præsidiisq; militaribus exuti, & exarmati, conditionibus fæderis acceptis, Sacrosanctum iuramentum Victori Sereniss: VLADISLAO deponere coacti sunt. Ita perduelles

ac fæ-

ac fædifragi (quinto ferè menſe exacto) fracti, proſtrati, ſuperati! Vi victa vis, vel potius oppreſſa virtute audacia eſt! Nihil dico quid Reſpub. noſtra laudis atq́ue honoris apud omnes Chriſtianos populos, nihil quid vos lætitiæ, nihil quid omnes boni milites gloriæ, nihil quid Rex fortiſſimus nominis & immortalitatis conſecutus ſit. Et iam eâ Dominica quæ auctoritate Eccleſiæ Catholicę, nomen accepit, à lætitia, hæc Vrbs nobiliſſima, quæ caput eſt, & decus imperij, ſolennibus votis & ſupplicationibus, ad D. STANISLAI Vrbis huius, & Orbis Sarmatici Patroni, ſacras reliquias, publicam inſtaurauit gratiarum actionem: data ſunt illuſtria tantæ pietatis ac lætitiæ ſigna, per tonitrua tormentorum, clangorem tubarum, ſonitum campanarum, diuinarum laudum iubilationem, cantuſq; ſolennes: ingeminatæ preces feruentiſſimæ, vota officioſiſſima, ſuſpiria propenſiſſima & Cleri, & Populi vniuerſi, vt Deus Op. Max: Sereniſſ: Regi noſtro, tantos conatus, tantoſq; pro gloria ſui nominis ſanctiſſimi labores, iam ad optatum finem, ſine Chriſtiani ſanguinis effuſione deducere dignaretur. Itaq; vos Aud: Clariſſ: quanquam com-

munis illius pietatis, Comites & participes extitistis, hùc tamen omnino die hodierna, more maiorum, & Academica consuetudine longè laudatissima, auctoritate Magnifici D. Rectoris excitati, & euocati, hanc ad aram D. Ioannis CANTII, frequentissimi confluere voluistis, vt in hoc loco sanctissimo, subditi pro Domino Clementissimo, Academici pro Rege sapientissimo, clientes pro Principe fauentissimo, inermes pro Victore ac propugnatore fælicissimo, solennem gratæ mentis significationem, iustæq; pietatis debitum Deo Victori, ac Triumphatori Op. Max: supplices persolueretis. Laudo, laudo hoc vestrum Viri Academici studiosissimæ voluntatis officium, quod ipsum per se omnino iustum, Deo glorioso gratum & acceptum, Reipub. necessarium, vobis honorificum, hostibus deniq; omnibus, adeòq; immanissimo Turcæ, terribile est futurum. Quamobrem ego (quanquam infimus omnium) dum in hoc vestro confluxu longè florentissimo, tanti beneficij momenta propono, quæso & obsecro Vos, atq; adeo obtestor Aud: ne ex breuissima & tenuissima dictione mea, atq; hoc præcipiti verborum inanium strepitu, tantæ

rei am-

rei amplitudinem, tantæq; victoriæ dignitatem, quantam Deus Opt. Max: Sereniss: VLADISLAO concessit pensitetis aut iudicetis, sed potius quid dicendum sit perspicacissimis vestris ingenijs, atq; iudicijs acutissimis contemplemini: meq; vt cæpistis & beneuolentiâ & attentione vestra singulari, dicentem subleuetis.

Nemo est hoc in vestro concursu frequentissimo Aud: Clariss: qui ob hanc illustrem & eximiam nomini Polono Victoriæ & laudis accessionem, non peruehementer lætetur, qui non gestiat, non exultet, non omni gaudio commoueatur, non deniq; maximas summo Victori triumphatoriq; Deo agat gratias: cum præsertim ex tanto beneficio, diuinæ gloriæ incrementa, atq; ornamenta pullulare possint, longè maxima. Nam vt omittam, cuius tantæ fortitudinis fuerit, gentem immanitate barbaram, multitudine intollerabilem, opibus abundantem, temeritate superbam, frangere ac coërcere? cuius tantæ virtutis, exercitus ingentes, & ex fortissimis ac exercitatissimis populis, coactos ac comparatos, dissipare? Cuius tantæ prudentiæ, propugnacula, robore, tormentis, militum mul-

 titudi-

titudine, rerum omnium copiâ, referta & obarmata, expugnare & euertere! cuius tantæ fælicitatis rem, famam, gloriam ferè intactam ac inuiolatam, nominis imperiiq; Poloni, à tantis periculis, tantaq; infensissimæ gentis impressione eripere ac conseruare? Vt hæc inquam omnia (quæ ipsa per se magna sunt, & admirabilia) omittam, quis non miretur singularem in nos, Serenissimumq; Regem nostrum Dei Opt: Max: clementiam, qui gentem nostram, tantis imperij negotijs implicatam, & irretitam, tantis casibus fractam ac depressam, tanto mærore exhaustam & consumptam, tam breui tempore, contra potentissimum, ac ferocissimum hostem, qui à multis annis, suas legiones contra nos nostrumq; excidium exercuisset, & armasset, expediuerit, opposueritque, & vnico fortissimi, ac fælicissimi Regis aduentu fregerit ac contuderit. Reuocate enim Vobis paulisper in memoriam illud tempus, quo perditissimus iste latro, omne suũ robur ad vim, ad incendia, omnem impetũ ad prędam, ad rapinas, omnes exercitus, ad direptionem, ad excidium, Sociorum nostrorum euomuisset? quę tum erat in Lithuanico Ducatu Ciuium distra-

ctio?

ctio? quæ consternatio? qui motus? qui tumultus? quæ vulgi comploratio? cum difficillimis interea negotijs cunctus implicaretur Senatus, plurimumque de Religione, de legibus, de animorum inter se dissidentium turbinibus angeretur: omnis præterea miles in hybernis, nullus exercitus in Regni finibus haberetur. Hanc sibi occasionem Tyrannus ad occupandum Smolenscum, & finitimas Lithuaniæ oras oblatam esse arbitrabatur, hoc inprimis volebat, hoc intentabat, hoc moliebatur. Ea de re Senatui afferebantur, ex Lithuania graui quotidie cum trepidatione, literæ, quibus nuntiabatur, magnum periculum nõ solum consiliorum præstantia & auctoritate, sed etiam auxiliorum celeritate reprimendum esse: Vicos exustos esse complures, Arcem Smolenscensem, quæ in radicibus Seueriensis oræ fixa est, cinctam esse hostium exercitibus: miseros Ciues, fame, siti, labore, & languore confectos, in illa obsidione vix se muris posse tueri: neminem qui ab his periculosissimum impetum represserit, posse reperiri: Vnum ab illis Ciuibus atq; incolis, ad tanti belli tempestatem comprimẽdam, Regem VLADISLAVM fortissimum

fælicis-

fælicissimumq; deposci atq; expeti, eundem hunc vnum ab hostibus metui, præterea neminem. O fælicem Sereniss: VLADISLAI Regis aduentum! ô Heroicam virtutem! & fortitudinem propè diuinam, quâ nostrorum in obsidione Ciuium animi subitò erecti sunt ad salutem, & à desperatione ad bonā spem excitati. Vix enim prima manu instructus accurrerat, vix acies explicarat vigilantissimus Rex, cum penitus hostes ita metu fracti, & pauore prostrati sunt, vt nihil omnino præter fugam meditarentur: atq; adeo primo illo Regis rumore & aspectu coniecissent se in pedes vniuersi, nisi à suis Ducibus, idq; ægrè admodum summis præmijs & precibus, vt saltim intra vallum & præsidia consisterent, fuissent inuitati. Itaq; multos per dies altissimum tenuerunt silentium. Sed etenim conspecta paucitate nostrorum militum (cæteræ enim auxiliatrices Copiæ Nobilitatis, vel tantæ fortissimi Regis celeritati non poterant sufficere, vel quod iniquissimum est, aliæ ne primis se periculorum impetibus objicerent consultò moram trahebant) primò insultare tanquam timidis, deinde fraudibus, excursionibus, impetu acerrimo, vrgere, preme-

re, in-

re, infestare, tandem iustis certaminibus & prælijs congredi, nostris cum militibus non dubitarunt. Sæpè vtrinq; cædes, sæpè tumultus atq; metus exorti donec (ut rem in pauca conferam) diuina tandem benignitate, & fælicissimi Regis virtute, confirmata nostrorum fortitudine, primum ex monte PROCOVIENSI (qui maximũ nostris dabat impedimentum) hostes excussi, & præcipites eiecti, deinde SMOLENSCVM recuperatũ, ibiq; die festo S. Michaelis, gratiæ solennes; Deo restauratori, actę atq; institutæ sunt, quas etiam nos hac in Vrbe florentissima, in hoc templo religiosissimo, hanc ad Aram Sanctissimam D. nostri Patris Ioannis CANTII, postquam primum accepimus nuntium, summa cum celebritate, instituimus. Et fælix ista quidem nostra fuit supplicatio Aud: fęlices & illæ preces, quas festo Doctoris Angelici die, D. Thomæ Aquinatis frequentes & alacres in Templo, & conspectu SS. Trinitatis fudimus: fælices Orationes, quas in Oratorio pietatis sępè pro Maiest: Regia expediuimus; fructũ enim illarum die hodierna longè vberrimum decerpsimus. Compulsus hostis ad deditionem, fame, bello, languore confusus, vi-

 ctus,

ctus, superatus, iam ante pedes Maiestatis R. prostratus supplexq́; iacet; qui paulò ante, suis in illis propugnaculis per summum contemptum turgescebat, qui suam vim superbè, suum robur insolenter, suam potentiam magnificè, suam immanitatem scelerate in conspectu nostri exercitus iactabat, explicabat, ostentabat. Iam nunc sentit, quid sit pugnare cum Viris, frangere fœdera, rumpere pacta, prostituere ius gentium, ad dedecus, & ignominiam: iam intelligit, quid sit fraude, doloq́; malo insurgere contra innocentum iustitiam: iam didicit, temerarium esse & insanum, eorum arma velle prouocare & temerè experiri, quorum iniuriæ defensor acerrimus, quorum æquitatis præsentissimus propugnator, est Deus. Habent illæ gentes apertissima diuinæ in se vltionis documenta, habent furoris, perfidiæ, immanitatis, se ipsis digna præmia. Exercitum tàm ingentem, tám fortem, tàm instructum & ad omnem, vel inferendam vel auertendam impressionẽ paratum, tam breui tempore, sine magnis, & iustis certaminibus, tanto cũ dedecore, amiserunt; consilia sua omnia irrita, ac prostituta, omneq́; robur inane & inutile reddiderunt:

runt: propugnacula deniq; maxima, rerũ omnium copia armata & instructa, quicunq; superfuerant, turpiter deserere coacti sunt. Multa accepi, à maioribus, multa memini, multa legi, de SIGISMVNDI Primi virtute, fælicitate, auctoritate: de Stephani BATHOREI fortitudine, prudentiâ, celeritate, in rebus maximis & grauissimis conficiendis, qui contra illos Basilios, Glinsios, bella gesserunt, nihil tamen ex superiorum sæculorum memoria, tale cognoui! Qui quoties hunc hostem, moribus aggrestem, diritate ac immanitate ferocem, ipso cultu atq; aspectu horribilem, scelere execrabilem, perfidiâ ac superstitione exultantem frangere, ac coercere conarentur, toties ingentes, ingenti sumptu exercitus comparare, hyemes multas in finibus, ne malum illud sceleratorum perduellionum recrudesceret, inuigilare debuerint: At verò noster Sereniss: ac fælicissimus Rex VLADISLAVS hoc insperatum omnibus consilium, & diuinum cæpit, vt tantum hostem, tam longè latèq; dispersum, tantis copijs & præsidijs abundantem, ipse præsens adulta æstate accesserit, ineunte autumno oppugnarit, media in illis regionibus hyeme compresserit.

Quis est enim qui hoc non intelligat Aud: nisi oppositu pectoris sui Smolenscum, & Seueriensem tractum excepisset, & erexisset, fortissimus ac potentissimus Rex, non sine clade & excidio populi nostri, aduentum Schinnij, Vasiłouicij Prozorouij, & Iacobi Szarleij futurum fuisse. Ita enim se recipiebant ardentes odio nostri, cruenti sanguine Ciuium, quos ad Smolenscum contrucidârant, & non humano modo etiam post mortem excarnificata membra, per Boristhenem disiecerant, vt nihil nisi de pernicie nostræ gentis, nihil nisi de laceratione, de lanienis, cogitarent. Itaq; omnes quidem in illis regionibus nostri populi, Sereniss: VLADISLAVM intuentur, sicut aliquod è cælo demissum Numen, hostes verò velut fulmen exhorrescunt. Iam sese in latebras illas suas, & cænosas quasdam paludes, abdidit & coniecit, Michaiło Philorheticius, Philorheti Michchitticij, primi Popæ (quem illi Patriarcham falso nomine vocant) filius, qui Patris ambitione atq; fraude, nomen sibi magni Ducis peperit, scelere fouit, immanitate ac periurio hucusq; auxit, ac retinuit. Nullus ei ludus erat iucundior, quàm patibula, quàm tormen-

ta, quàm

ta, quàm ſupplicia hominum innocentum, ac miſerorum: nulla lætitia maior, quàm cruor, quàm cædes, quàm ante oculos contrucidatio Ciuium. Sed incidit iam in foueam quam ipſe fecit, iam tenetur, premitur, vrgetur, nunc ijs copiis, quas ipſe noſtrum in excidium parauit. Vidit hoc ſuum, quod ſcelere peperiſſet exitium, vidit multo ante tempore, & timuit immanis iſta bellua, ac ideò ſceleratæ fraudi, maiore fraude & flagitio conſulere voluit: ingentia munera cum precibus & lachrymis, Othommannico Tyranno miſit, ſe vt clientem reciperet, cum tanto tamq; amplo imperio in patrocinium, & poſſeſſionem. Videte quàm illum atrox & crudele vexet odium, quàm intollerabilis exacerbet inuidia, vt malit immaniſſimo Turcæ, quàm Domino, tam clementi, tam benefico, tam fælici, tam iuſto, glorioriſſimi faſces imperij ſubmittere! O caput execrandum & inſanabile, & non tribus (vt eſt in prouerbio) ſed mille antyciris dignum. Sed non effugies quo te cunq; conferes, crede mihi, non effugies perfide Tyranne, atq; adeò iuſtas tandem diuinæ vltioni pænas dabis. Dabis, dabis rigidum iſtud tuum, & inſatiabile iugulum,

tuoq; etiam exemplo, quàm graue sit & horrendum, toties datam, frangere fidem, rumpere fædera, ius gentium conscelerato violare bello, probabis. Nondum tuas aures horrendus ille percussit rumor, quam Deus in exemplis recentibus iustus sit Vindex, attentatæ defectionis atq; fraudis? Ille, ille veterator Walstheynus suæ rebellionis & conspirationis, iustissimas persoluit pænas. Vltimis diebus Bachi bibebatur, ludebatur, more Græco vel potius Germano, ab illis sceleratissimis nebulonibus, qui lateri Walstheyni adhæserant, Terscha, Illone, Kinskio, Neumone, & conuiuium magnificum Ægræ, non omnino ignobili oppido, sed nunc tanto facinore nobilissimo, instaurabatur: personabant omnia vocibus ebriorū, natabant pauimenta vino, madebant parietes, cum à fidissimis & fortissimis viris, heroicâ in Cæsarem fide, constantia, pietate præditis, Lessello, Cordone, Butlero, isti nefarij parricidæ, iam sibi quasdam mutuo congratulationes ingeminantes, Germaniam ad possessionē, Ciues ad cædem, Vrbes ad prædam & incendia, Prouincias ad direptionem, Principes ad internecionem notantes & designantes, ita oppressi & circum-

cumuenti sunt: vt nemo ex illa dimicatione euaſerit incolumis, cum præſertim illius arcis aditus omnes, armato ſatellitio prudenter, tempeſtiueq; ſatis eſſent circumſepti. Hinc 20. militum ſatellitio armatus Ebrox Capitaneus, viribus validus & audaciâ facilè ferox, ad occidendum Walſtheynum, quem in remotiori ab arce cubiculo, podagra lecto affixerat, tranſmittitur. Is operam non impigrè tantoq; facinore dignam præſtitit, fores effregit, cubicularios diſſipauit, Tyrannum metu fractum, iamq; ad feneſtram fugientem, (credo illi Mars iam in pedes, & malè ominata crura conciderat) ineuitabili bipenni per medium, nudumq; pectus, traiecit ac confecit. Ita Walſtheynus perditiſſimus; omnium obſequio & ſuperbo illo miniſterio deſtitutus, execrabilem animam exhalauit; tanto miſerior morte, quanto vitâ contaminatior, & immanitate ferocior ac truculentior fuit.

Tu quoq; non vides conſceleratiſſime Michaiło tuorum militum pulſas, ac diſperſas cohortes? non ſentis fractos metu, ac conturbatos omnium Boiarorum animos? non fugas, non tumultus, non execrationes, nō imminentium periculorum tempeſta-

peſtatem, hoc tuo ficto in imperio agnoſcis? Mox tibi quoq; cantabitur.

En populos & quam Michailo fraude recepſti
Moſchouiam metire iacens.

Ergo vobis meliorem mentem indidit, & inſpirauit Deus clementiſſ: SEHYNNE, atq; PROZOROVI, cæteriq; Duces & Proceres Moſchouię, vt tandem aliquando bonarum partium, iuſtiq; fæderis ſitis authores & prodromi? Sed perſeuerate iã tandem, perſeuerate inquam in fide, non vanus vates moneo, nullum enim periurium fælix, nulla ſimulatio pietatis, eſt diuturna. Agnouiſtis equidem ſatis luculenter maiorem viribus humanis in S. Maieſt: R. potentiam, experti eſtis fortitudinem, admirati eſtis in aduerſis patientiam, in periculis fælicitatem, in rebus maximis perficiendis celeritateẽ, atq; dexteritatem: in promouenda Religione Catholica zelum, & ardorem, in tuendo & amplificando Imperio alacritatem, in ſuo Regio honore augendo & defendendo diligentiam & amorem: (qui quidem cum vnicuiq; innatus ſit, tum maxime Regib. & Principibus, quibus inuſtus vel leui errore nęuus, & gentem ſępius & poſteritatem obfuſcat)

ſcat) perſpexiſtis deniq; in victoria, quæ ſua natura inſolens eſt, & ſuperba, clementiam & animi moderationem. O inuictum animi robur, & maiorem opinione veſtra magnanimitatem! Poterat vos, fortiſſimus Victor, fame, ſiti, languore, tabeq; conſumptos, & exhauſtos, ſub iugum mittere ad ſempiternam ignominiæ notam, more Cincinnati Dictatoris: noluit niſi more Cæſaris Auguſti, victos, fractos, deiectos, muneribus & militaribus præſidijs ornare: vt poſtquam vos exarmauiſſet Victor iuſtus atq; Dominus, voluit vos, iterum obarmare, tanquam prouidus Imperator: ne inermes atq; languidi ſummo cum dedecore atq; opprobrio gentis veſtræ, ægra admodum corpora in patriam, ſudibus præuſtis innixi traheretis. Iam nunc ſatis copioſè & egregiè intelligitis, aliud eſſe pugnare contra leones duce ceruo, more Xercis: aliud duce leone contra ceruos more Leonidæ. Non potuiſtis reſiſtere non tam noſtris viribus atq; exercitui, qui erat longè veſtris exercitibus impar, quàm potius diuinæ benedictioni atq; voluntati: quæ in noſtro Rege clementiſſimo, Veſtro verò Duce Magno electo, clariſſimis & pulcherrimis eluxit argumentis!

Iungite nunc animos, & dexteras vestras fideles, nostris cum animis fauentissimis, & exercitibus iungite, atq; cum eo Rege, cui Deus Omnipotens benedixit, fortissima quæq; aggredimini. Oppugnate & expugnate fœdissimum Spartacum, qui vos contra optimum Principem toties exacerbauit, & pessimo consilio, tanta Vobis, tantaque Nobis damna, probra, calamitates intulit, & inussit. Mouent enim in nobis non solum nostra mala dolorem, sed etiam vestra pericula atq; incommoda iustam commiserationem, quæ cùm superioribus, tùm recentibus bellis, vestra quidem simplicitate, Turcæ verò vaferrimi veteratoris, importunissimo susurro, atq; dolo accepistis. Non exhorrescitis, non despuitis, ad ipsam mentionem Turcæ? Turca est hostis Dei: Vos qui vtiq; à Christo, nomina vestra accepistis, hostem Dei non execrabimini? Turca est mancipium inferni, Vos cum illo societatem & amicitiam contrahere non dubitabitis? Turca est barathrum regnorum atq; imperiorum maximorum, Vos illi vestrum imperium tam florens, tam opulentum, tam longè latèq; diductum, ad prædam objicietis? Turca est stuprorum ac libidinum

exe-

execrandus Sacerdos, hoc Vos tale monſtrum tam immanem, tam tetram belluam, honore aliquo dignam putabitis? Apage hinc quiſquis amas ſocietatem Turcæ, & ab illius ore tanquam ſacro Oraculo dependes. Itaq; fortiſſimi Proceres & Satrapæ Moſchouitici Imperij, erigite tādem aliquando animos, coniungite noſtris Aquilis Aquilas veſtras, excutite Lunas Othomannicas, ex ſuperbo illo & inſolenti Solio, tanquam cælo! Redimite vel ſanguine veſtro, ſublimes illos & illuſtres Patriarchales honores, quos auro, non honore, impius metitur Turca, quos ſuum ad arbitrium per Iudæos fædiſſimos, vendit, violat, proſcindit, contaminat. Nam ſi Religionis imprimis eſt habenda ratio, hîc certè Religio, Principem ſibi vendicat locum, cum myſteria illa ſacroſancta, cum inſignia & ornamenta pulcherrima, quibus Eccleſia Catholica, in communi fidei & animorum conſociatione fulſit, amiſeritis; Vt vana nunc tantummodo nomina, ſine vero ſplendore & auctoritate retineatis. Imitamini per Deum immortalem Palæologos Cæſares Conſtantinopolitanos, Eugenios, Pontifices Romanos, qui vos in florentiſſimo illo Concilio

Florentino (quod ferè ante centesimum nonagesimum sextum annum celebratum est) æterno vinculo amicitiæ consociare studuerunt, & omnino consociationis illius fructus esset futurus immortalis, nisi vnus animicida atq; pyrata Marcus Ephesius suo scelere, & temeritate obstitisset, qui tantis laqueis atq; tenebris vestrum Græcum orbem irretiuit, & obfuscauit, quantis olim Arius impudentissimus orientem, aut Martinus Lutherus abiectissimus Apostata, & perditissimus latro Germaniam: quæ nunc suis conuulsa sedibus propter turbulentissimam hæresim, ruit in excidium.

Hæc magna sũt hæc immortalia, hęc diuina, hęc intueamini, hæc perpendite, si salutem animorum, si æternam libertatem, atque gloriam desideratis possidere. Hic enim contemplari quàm studiosissimè, & accuratissimè debetis, vtrum cum supplicio, ignominiaque, sitis perituri in æternum, an per Communionem Ecclesiæ, participes cælestis beatitudinis in ęternum regnaturi. An tantum vos consequi posse speratis bonum, nisi veram fidem, inuiolatam pietatem ac religionem, ingenuũ candorem, cæterasq; virtutes atq; dotes, quæ in thesau-

ro Ec-

ro Ecclesiæ Catholicæ conquiescunt, possederitis?
Sed surdis fabula canitur A. non mouentur Moschi precibus, sed verberibus, non clementiâ, sed seueritate & rigore, non admonitionib⁹ sed ictibus ac vibicibus, ad suum negotium excitantur. Sanguinem effusum, & vulnera Principis manu inflicta gratiam putant, crudelitatem & immanitatem, nominare solent liberalitatem. Ea est hominum indoles, hoc ingenium, vt nihil, nisi coacti faciant boni: si tamen illud quod necessariò, & coacti faciunt, bonum dici potest? Vtinam illis Deus Op: Max: eã mentem inspiret aliquando, vt nostris cum exercitibus ac Principibus fortissimis, satis commodam opprimendi Turcæ arripiant occasionem, ac recuperent nobiscum possessionem illius terræ, ex qua salus nostra prodijt, in qua Christus ex Cacodęmone triumphauit. Hâc conspiratione, his fæderibus, nihil optabilius, nihil gloriosius, nihil Christianâ Repub. dignius, nihil nostro Septemtrioni, nostræ genti, pietati, fortitudini, illustrius accidere potuisset. Iam enim non solũ homines, sed etiam cælestes Indigetes, atq; ipsum Numen æternum, ad conseruanda & amplificanda Christianorum imperia vi-

 dentur

dentur consensisse. Siue enim prodigijs atq; portentis Deus nobis omnipotens futura prænuntiat, hæc ita sunt apertè denuntiata, vt & illi calamitas, & nobis libertas atq; gloria appropinquet: Siue tanta insania, tantusq; stupor in Turca dominetur, quantum ille sibi, iniuriis gentium, populorumq; Christianorum, & fæderibus violatis apud omnes Principes orbis conflauit, sine vltione & vindicta diuina, ista non possunt terminari. Quid est quod de voluntate cælestium dubitare possimus, quam semper clarissimis argumentis nobis fauentissimam agnouimus, & nunc etiam experiamur? cum in Turca infestissimo Dei hoste sint omnia contraria. Dedit Othomannides Genethliacum, celebrauit natalitia Constantinopoli, incendium tantum subito erupit & exarsit, vt cum tribus diebus, horribili cũ fragore & conuulsione ędificiorum durasset, octo millia domorum dicatur absumpsisse. In mari verò, quæ prodigia, quæ portenta illo præsente, & spectante toties appareant, quis ignorat? Cum superiori anno ad Moschouiticum legatum, solenni cum ostentatione & apparatu excipiendum, aulicos suos præmitteret, in conspectu omnium, quadragin-

draginta lectiſſimi armigeri, turbine quodam correpti, (quanquam ſerenum eſſet cælum) & ſubito fluctibus abſorpti ſunt! Hæc nos argumenta, diuinæ iræ atq; vltionis manifeſtæ, in conſpectu Turcæ, contra ipſum Turcam, de repentè nata & excitata negligemus? Nunc arma, nūc excidium Spartaco intentare dubitabimus? cum præſertim per ferociſſimum Abazi Baſſam, fædera ſacroſancto iure gentium confirmata, ſceleratiſſimè rumpat? Notet & deſignet Vrbes ad incendia? ad cædem Principes? ad ſeruitutem Viros Nobiles? & iam in extremis finibus Valachiæ, ingentibus cum exercitibus Scytharum Turcarumque, paratus ad noſtram inuigilet calamitatem & internecionem, quod prius omen Deus omnipotens, in illius caput retundat.

At vos quid tandem moramini fortiſſimi Equites Poloni? an expectatis vt propius Vrbibus veſtris arietes admoueat Turca? Lunas in conſpectu veſtro explicet, tormenta exoneret, vim inferat ad dedecus, ferrum ad necem vibret, flammas ad incendia eiaculetur? Quin itis, & occurritis fædiſſimo hoſti, quem non multis ante menſibus, á finibus Patriæ & Reip. veſtræ, ſummâ virtute & fortitudine repreſ-

ſiſtis,

ſiſtis, abegiſtis, fugaſtis. Ecce in finibus veſter fortiſſimus Imperator Stan: KONIECPOLCIVS adeſt, inuigilat, expectat, inuitat, rogat, præſidia verſtra, & auxiliatrices manus? Quouſq; ignorabitis vires veſtras, quas ne belluas quidē natura voluit ignorare? Ideone S. Maieſtas R. fregit inſolentes perduellionum impetus, vt vos domi ocioſi & languidi viueretis? Vos in prædam & ſpolia optima barbaro, per ſummam ignauiam vincti & conſtricti objiceretis? & velut mancipia fædiſſima in Turciam abduceremini? Quin moriamini prius, vel oppoſitu pectroum veſtrorum, tantam peſtem, tantam calamitatem auertite. Ite ergo bonis ominibus, ite generoſæ, ac fortes animæ, ite accenſa diuinæ gloriæ ſtudio pectora, ite continuate victorias, connectite triumphos, opponite pectora veſtra, pro patria, pro libertate, pro nominis Poloni, nominis Chriſtiani, Deiq; gloria. Ibi vobis aut vincendum fortiter, aut glorioſè moriendum eſt. O ſancta bella, quæ non ad vnius hominis ambitionem, aut auaritiam explendam, ſed ad veram & Catholicam Religionem latius ſpargendam ſuſcipiuntur. O fælices victorias, quæ & victoribus nominis

minis

minis immortalitatem, & victis æternam salutem ac securitatem adferunt.

At verò ego Aud: Clariss: in hoc extremo Orationis meæ ductu atq; flexu, duo mihi potissimum á vobis concedi peto atq; oro: Primum ne tantam periculorum grauitatem, quanta in deterrimo Turca, per crudelissimum Abazi Bassam imminet contemnatis: cum eam nullis humanis viribus auerti posse, nisi cælitùs diuinum nobis affulserit auxiliũ, Viri grauissimi, & qui magnarum momenta rerum penetrant, affirment: Deinde quæ sit vestri officij ratio, vt in his omnibus siue periculis, siue rebus prosperè, ac feliciter gestis, diligenter (quæ vestra est singularis prudentia) videatis, ac perpendatis. Non enim huc frequentes confluxistis ad triumphum, sed ad supplicationes, Deo Op: Max: pro fælici, suscepti belli Moschouitici, & suscipiendi Turcici, successu, persoluendas: Vt tantò magis incumbere in preces, augere vota, vrgere suspiria, geminare desideria debeatis, quantò S. Maiestas R. & altera ex parte Illustriss: Exercituum Imperator, grauiores labores, vigilias, contentiones, pro nominis Diuini gloria, pro salute, & securitate nostra,

pro incremento & tranquillitate Poloni Imperij, ſuſcipiant & intendant. Non poſſumus decertare armis, in certamine Martis, pugnemus contra hoſtem, feruentiſſimis orationibus: Non eſt inferior orationum, quàm vis armorum, apud Deum: imò armorum ſtrepitus, ſine orationis feruore atq; ſpiritu, vigere ac conſiſtere non poteſt. O fælicem noſtram conditionem Aud: Nos in quiete, & tranquillitate viuimus, alij etiam genio forſan, & voluptatibus ſuis indulgent: at S. Maieſtas R. ſub tentorijs, inter frigora acerrima, rigidaſq, hyemes, quæ illis in regionibus huc vſq; recrudeſcunt, & edurant: Illuſtriſſ: quoq; Exercituum Imperator, inter mille periculorum tempeſtates, & incommoda verſatur. Itaq; tam erimus ingrati, vt ſummis meritis, atq; beneficijs prouocati & excitati, nihil agamus? Non precibus ſaltem & orationibus feruentiſſimis, tantis laboribus, tantæ pietati, tantis conatibus reſpondeamus? Ergo ad te Deus Opt: Max: Victor, Vindex, ac Triumphator glorioſiſſ: ſupplices tendimus manus, atq; illud per quam libenter, & intima animorum noſtrorum cum ſubmiſſione & gratiarum actione, fatemur, depredicamus, ingemina-

minamus: quòd S. Maiest: R. beneficio atq; præsidio tuo maximo, insolentem fregerit hostem: tumidam illius superbiam depresserit: violati fœderis, atq; iusiurandi religionem, fideliùs seruare docuerit: Victoriæ prima fæliciter auspitia decerpserit: & pristinæ nostræ vitæ consuetudinem, mærore & sollicitudine tabescentem, lætitiâ, & congratulationibus refecerit: gentibus deniq; omnibus ad benè de omni Repub. Polona sperandum quasi signum aliquod erexerit: Te Deus gloriosissime collaudent, & glorificent, pro his primis victoriarum accessionibus, beatissimi Spiritus; tu verò perfice, atq; nostro, imò tuo in Rege operare, ad nominis tui gloriam augendam & amplificandam, quod potissimum Sanctiss: tuæ visum fuerit voluntati.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Sit nomen tuum Sanctum in gentibus, sit florens, sit beatum, sit immortale in populis, & orbe terrarum vniuerso, vt est benedictũ in cælis. Est benedictum in Sanctis tuis, & nostris Indigetibus atq; Patronis: D. Stanislao, Venceslao, Floriano, Hyacintho, Casimiro, ac B. Ioanne nostro Cantio: qui profecto in conspectu tuo Sanctiss:

pro noſtri Regni neceſſitatibus, nunc aſſurrexerunt omnes, & ſic orant, & ſic Maieſtatem tuam deprecantur. Ecce Rex Regum, & Dominus dominantium, imminet noſtram contra gentem, helluo regnorum Chriſtianorum, atq; prædo, quem tu olim in Oſmano ſuperbo depreſſiſti, viciſti, ſuperaſti: adeſt crudelis Abazi Baſſa, à ſuis regnis transfuga, in noſtris latro. Erigit iterum Lunas, concitat populos, numerat legiones, acuit acinaces, educit phalanges, inſtruit acies, & promouet, contra gentem noſtram, gentem tibi electam, & tot victorijs, tot triumphis, tot beneficijs tuâ benedictione glorioſam. Patieris libera Polonorum tuorum corpora, indigniſſimè per ſcelus tractari, violari, mactari: & in ſeruitutem immaniſſimam abduci?

Nos tibi proſtratos, ô non feret hoc tua in ipſos
Propenſa, vſq; adeò pietas, nunc iſte laniſta
Noſcat, quod foueas fortes pietate Polonos,
Et quod Sarmatiæ nondum tibi cura receſsit,
Sarmatiæ, quæ murus ahæneus! inſidiantum
Contundit gladios, Sanctumq; tuetur ouile;
Spartacus immanis toto diminabitur orbi?
Spartacus infractâ terrarum ~~conditione~~ sorte vigebit?
Spartacus occaſum regnis, triſtesq; ruinas
Imperiis ſine fine dabit? ſic perfida creſcet

Progenies

Progenies? dirâ miserorum cæde Tyrannum
Exultare sines? raptâq; tumescere præda?
Frangere ceruices victis? contemnere Numen
Immensum? atq; tuas, sanctissima symbola, leges?
Quem statuis tantis finem bone Rector Olympi
Prodigiis? quando tua vel te iniuria aduret?
O tandem miserere tui, miserere tuorum,
Protere terribili peruersum robore Turcam
Disiice constrictas scelerato fædere gentes,
Redde tuis animos, & fædos frange Gygantes.

Sic Sancti tui ad te nostra commoti necessitate Deus clementissime, in quo omnia vident, omnia sciunt, & contemplantur. Quare illorum tibi nomine (quoniam propter nostras noxas, & delicta grauissima, nos vt exaudiamur sumus indignissimi) in summa Patriæ necessitate atq; periculis, pro Maiestate R. pro incolumitate Principum, pro robore militum, istas supplicationes, has nostras preces, vota, suspiria feruentissima, cum lachrymis, & gemitibus, populi tui vniuersi, dicamus, & consecramus.

Da REGI Pater auxilium, atq; hæc omnia firma.

Ad Almam Academiam
Cracouien:



Fundite Craciades pia Carmina fundite Musæ,
Exultate bonum Regis ob ausp itium.
Concelebrate pium, fortem, iustumq; Monarcham
Atq; alacres aiacrem promite lætitiam,
Spartace quid fraudes torques furialibus ausis
Excutiet quoq; te, hic Victor ab Imperio.

THEODORVS NAIMANOVIC
Stud: Eloquent:

ALEXANDER MAGNVS apud Curtium lib. 8.

20

APud me quidem, moderationis meæ certissimum indicium est, quod ne victis quidem superbè impero. Veni in Asiam, non vt funditus euerterem gentes, nec vt dimidiam partem terrarum solitudinem facerem, sed vt illos quoque, quos bello subegissem, victoriæ meæ non pæniteret. Itaq; militant vobiscum, pro imperio vestro sanguinem fundunt, qui superbè habiti rebellassent. Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur. Beneficiorum gratia sempiterna est. Regum Ducumque clementia, non in ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingenijs sita est. Obsequio mitigantur imperia. Vbi verò reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est, vt vim repellamus.

Impensis ex fundatione perpetua, Generosi olim Dñi BARTHOLOMÆI NOWODWORSKI, Equitis Melitensis, S. IOANNIS Hierosolymitani, Commendatoris Posnanień.

CRACOVIÆ,
In Officina Francisci Cæsarij,
Anno M.DC.XXXIV.

XXIV. 5. 19.